

confusio inducatur, dubium est nullum: Posteriori vero casu, si nullos alios habet coheredes, vel tales solum, qui etiam in certis rebus scripti sunt, tum, quia certæ rei mentio detrahitur, & perinde habetur, ac si simpliciter heres institutus esset, ita ut in universoni jus defuncti, adeoque omnes ejus actiones succedat, *l. 1. §. 4. l. 9. §. 13. ff. d. Her. Instit. l. 41. §. f. ff. d. Vulg. & pupill. subst. v. Bachov. in not. ad Treutl vol. 2. dissp. 12. thes. 1. Lit. A. & seq. dissp. 14. thes. 10. Lit. K.* res aliter se habet, & confusio tum servitutum aliorumque similitum jurium, tum obligationum sine dubio inducitur.

## XVII.

Quod si plures adierint hereditatem, cum regulariter actiones in eos in solidum non transeant, sed in singulos pro hereditariis portionibus, *l. 1. C. si certum pet. l. 1. C. d. Except. l. 6 C. Fam. ercisc.* adeo, ut hoc ipsum heredes debitoris, quo minus singuli pro portione hereditaria conveniantur, pacto, in vitis creditoribus, mutare non possint, *l. 26. C. d. pact.* actiones quoque in singulis heredibus ultra eam portionem, qua unus quisque successit, non confunduntur: sed coheredibus & in coheredes pro rata portione salvæ manent, *l. 1. l. 6 C. d. Hcred. act. l. 7. C. d. Neg. gest. l. 14. C. ad L. Falcid. l. 7. C. d. bon. auctor. Ind. poss. l. 14. C. d. rei vindic. l. f. C. d. Contrar. judic. tut. Zanger. tract. d. Except. part. 3. cap. 9. n. 4. Brisson. lib. 2. de solut. tit. de confus. Vultej. Jurispr. Rom. lib. 1. c. 57. Hering. tract. de fidejuss. cap. 20. §. 16. num. 11.* Limitata enim causa limitatum quoque producit effectum: Hinc si Titius actionem contra Sempronium habuerit in 100. eique ex triente tantum factus sit heres, hæc obligatio non nisi pro triente confunditur, adeoque a coheredibus suis debitum illud pro besse exigere non prohibetur, *d. l. 6. C. d. Hcred. Act. l. 50. ff. de fidejuss. quod ipsum tamen limitatur: 1. Si testator prohibuerit, ne heres & creditor ejus aliquid a coheredibus suis exigeret. l. 123. pr. ff. d. legat. 1. d. l. 6. C. d. Hcred. act. d. l. 7. C. d. bon. auctor. Ind. poss. 2. Si debitor creditorem instituerit heredem animo debitum compensandi. d. l. 123. pr. vers. sed plane. d. leg. 1. l. 6.*